



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. IV. An Clerici teneantur contribuere pro necessitatibus vel utilitatibus  
publicis communibus Laicorum & Clericorum?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

quò casu etiam personas Ecclesiasticas collectari posse, concedunt jura in *cit. s. non minus, & incit. c. adversus* requiritur juxta hæc *c. c.* ut Episcopus & Clerus (putant tamen aliqui sufficere Capitulum Cathedrale cum Episcopo) deliberent, an & quantum Laicis concurrendum sit. Secundò requiritur, ut necessitas sit non tantùm communis Laicis & Clericis, sed sit valde magna, aut evidens utilitas subfit, cui relevandæ saltem communes Laicorum facultates non sufficiant. Tertiò requiritur, ut contributiones ab Ecclesiasticis fiant sponte, & absque ulla (secularium scilicet) coactione, & exactioe. Quartò ut prius de tali contributione consulatur Summus Pontifex, & hujus habeatur licentia, ita ut Clerici prius contribuere non possint, quàm Summi Pontificis habeatur licentia (nisi urgeret ipsarum etiam Ecclesiarum, aut personarum Ecclesiasticarum nimia necessitas, & in mora periculum esset) cujus est privilegium collectandi, etiam Clericos, secularibus Principibus concedere, nisi in prima fundatione, aut bonorum in Ecclesiam donatione, translatione, &c. collectandi jus in talibus bonis sibi reserverint tales fundatores, aut donatores, &c.

§. IV.

An Clerici teneantur contribuere pro necessitatibus vel utilitatibus publicis communibus Laicorum & Clericorum?

PRO reparandis pontibus v.g. fontibus, muris civitatis, viis publicis re-  
*Pirhing, Compend.*

ficiendis, arcendis fluviorum alluvionibus cum damno agrorum tam ad Clericos quàm ad Laicos spectantium, &c. De his ergo

Respondetur probabilem quidem sententiam esse, quòd ad tales contributiones teneantur etiam Clerici, cum contributiones tales non imponantur subditis, titulo jurisdictionis, sed sint communes omnibus civibus, pro communibus utilitatibus, quarum commodis fruuntur: probabiliorem tamen sententiam esse, quòd neque ad has communes necessitates contribuere possint, aut debeant, nisi servatis conditionibus priore §. relatis, cum relata jura, tam Civilia, quàm Canonica, ab his etiam contributionibus eximere videantur; si enim milites v.g. & magistratus, ac alii sæpe Laici, ab his oneribus eximuntur, quia publico bono aliis in negotiis deserviunt, cur non etiam Clerici sint eximii, qui in bonum spirituale, Laicorum etiam occupati sunt, & laborant? & quamvis membra sint ejusdem communitatis, & communibus his communitatis talis commodis gaudeant, sunt tamen membra privilegiata multùm à secularium Civilibus occupationibus distincta; facilius tamen semper erit harum contributionum collectio, & exactio, modò fiat à magistratu Ecclesiastico, & serventur aliæ conditiones à jure præscriptæ.

§. V.

De immunitate, & exemptione Clericorum à tributis, aliisque oneribus merè personalibus.

PRImò quòd Clerici sint eximii à tributo capitationis, si Princeps secularis  
*M m m v. g.*